

265. edit. Oxoniens.) secundum ea, quæ traduntur Celeberrimo Pufendorffio, citato superius §. 6. *Habere juramentum vim obligatoriam* (non per se, sed vi pacti, cui cohæret) *sed constructivam tantum, non item destructivam: & posse inducere novam obligationem, ubi nulla fuit,* (quatenus scilicet uno sermonis complexu comprehenditur & principalis obligatio & vinculum Jurisjurandi accessorium, v. g. si dicam; ita me Deus juvet ut ego centum tibi dabo; Et hæcenus accipiendum est, quod tradit Dn. *Strauchius*, Dissert. Justin. XXV. aph. 26. p. 398. *Juramentum promissorium non præsupponere actum aliquem antecedaneum cui accedat, vel confirmare eam, quæ præfuit.* Ex quo sequitur, quod actus, quibus in se vitium adhæret obligationem impediens, per Juramentum obligatorii non fiant.

IX. Quo posito descendamus quoque ad quæstiones, quæ heic moveri solent. Ac primo quidem quærent de Juramentis per metum injustum extortis, (v. c. si quis latroni vitæ servandæ causa jurato pecuniam promiserit) an ea servare teneamur? Ubi quidem à *Grotio* penitus recessisse Celeberrimus *Pufendorffius* prima fronte videri potest: Quod si tamen utriusque mentem exactius inspicias, alterum ab altero non prorsus alienum deprehendes Sane cum iste metus injustus connotet factum alterius illicitum, seu vitium ex neglectu Juris naturalis contractum, hoc est injuriam, quæ cum jure obligationi respondente stare non potest, (vid. D. Puf. III. 6, 10, & 12. & §. 12. heic.) & verò jam ostensum sit, juramenta tanquam vincula accessoria obligationem in se validam perpetuò præsupponere, dubitari potest quomodo per Jusjurandum vi extortum ad sublevandam cujuscumque nebulonis malitiam obligari queamus? Sic & præterea constat non teneri cui jurata promissio per vim est extorta, cum certum quoque sit Jure naturali, qui per metum injustum alterum ad quid præstandum compulsi, id restituere debere, (vid. l. 206. D. de

D. de